



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An vere principes, & qua fide crediderint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

poterunt credere, quia iterum dicit Esaias, excacauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Vt (quod est grauius) ad Deum referatur causa qua non crediderunt: quandoquidem ipse excacauit oculos eorum. Non enim saltem hoc de diabolo dicitur, sed de Deo quod ipse prophetica scriptura testatur. Nam si arbitremur hoc dictum de diabolo, quod excacauit oculos eorum, & cor indurauit, laborandum est, quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, possimus ostendere de quibus dicitur, non poterant credere. Deinde quid respondebimus de alio propheta ipsius testimonio, quod posuit Paulus Apostolus dicens, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant vsq; in hodiernum diem? Audistis fratres mei propositam questionem, nempe quam profunda sit cernitur sed respondemus ut possumus. Non poterant credere, quia hoc Esaias propheta praeiicit: hoc autem propheta praeiicit, quia Deus hoc futurum esse praescripsit. Quare autem non poterant, si a me queratur, cito respondeo, quia volebant, malam quippe eorum voluntatem praetendit Deus, & per prophetam praenunciavit illi cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquit, dicit propheta, non voluntatis eorum, quam causam dicit propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, aures ut non audiant, & excacauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excacat, sic obdurat Deus deserendo, non adiuvando, quod occulto iudicio facere potest. in quo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussam debet inuolantem, seruire, sicut Apostolus dicit cum eandem ipsam tractaret difficillimam questionem. Quid ergo dicemus? inquit; Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Si ergo absit ut sit iniquitas apud Deum, siue quando adiuuat, misericorditer facit, siue quando non adiuuat, iuste facit: quia omnia non temeritate, sed iudicio facit. Porro si iudicia sanctorum iusta sunt, quanto magis sanctificantis & iustificantis Dei? Iusta ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quaestiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic: quare ille Deo deserente excacetur, ille Deo iuuante illuminetur, non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo. O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius? vnde dictum est in Psalmo, iudicia tua abyssus multa. Non ergo me fratres ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda, expectatio vestra charitatis impingat.

QUESTIO III.

Quando hac dixit Esaias?

§. I. **C**um videret gloriam eius, & loqueretur de eo. Controuertunt tamen auctores ad quem referantur, pronomina eius, & eo, ad Patrem, an Filium? Et certe si omnia confideremus, aliud concludere non possumus, quam de Christo Euangelistam loqui. De eo enim ante dixerat, non credebant in eum, & subiungit, multos ex principibus credidisse in eum. Causa autem non erat, ut de patre diceret, gloriam eius ab Isaia visam, de eo enim dubium nulli erat. At Christi diuinitatem nobis certo argumento significare voluit, nam Deus erat cuius gloriam vidit Esaias c. 6. 1. In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solum excelsum, & eleuatum, & ea quae suberant, replebant templum, Seraphim stabant super illud. Deinde dicitur sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Christi gloriam vidit propheta, Deus igitur Christus. Paulus Actor. 28. 27. Spiritum sanctum locutum esse ait, ex quo etiam illius diuinitas colligitur. Athanasius de communi essentia Patris & Filij. Apparuerunt ergo in illa visione filius, & Spiritus sanctus. Hoc est tota Trinitas, & ideo angeli ter repetunt, sanctus, sanctus, sanctus. Nec est excludendus pater; nam non minus apparere ille quam aliae personae debuit. Quod Hilarius lib. 5. de Trin. Tertullian.

Spiritus
Deus.

aduersus Praxeum, Ambrosius in 1. Luc. putant non ad paruisse in veteri testamento, forte eo sensu dixerunt, quod pater sicut per filium redemit, ita per eum etiam prophetas erudit, quadam appropriatione, non autem, quod non gloria patris simul etiam confecta sit.

VERSUS 43.

Dilexerunt enim gloriam hominum
magis, quam gloriam Dei.

QUESTIO I.

An verè principes, & qua fide crederint?

§. I. **P**rinces in Christum credebant, sed qui sine existimationis, & auctoritatis tenaces erant, publice fidem non confitebantur, ne cum dedecore in synagoga eijcerentur; amabant enim magis gloriam quae ab hominibus datur, quam quae est à Deo. Quae ex re luculentum habemus testimonium, quo probamus à caritate posse fidem separari. Credebant in Christum, sed metu ignominiae, fidem celabant, Ita Bellarminus lib. 1. cap. 15. de iustificatione. Respondet Pareus, veram eos fidem, & iustificantem habuisse, nec propter confessionis omissionem caritate priuatos. Veram fuisse igitur fidem concedit. Negat principes dilectione caruisse. [Crediderunt, inquit p. 243. de iustif. lib. 1. cap. 15. enim in Christum: Igitur non fuerunt hostes, sed amici Christi. Dilectionem igitur Christi aliquam habuerunt. Duo vero illa, quod dicuntur metu excommunicationis, Christum non confessi, & magis dilexisse gloriam hominum, quam Dei, non magis dilectioni, quam fidei eorum derogant. Docent quidem fidem eorum non fuisse vegetam, validam, de qua dicitur: Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem: Non docent vero fidem eorum fuisse nullam, vel euandam, & mortuam: sed fuisse aegram, infirmam, invalidam, ut eam vocat Cyrillus, quae nihilominus vera esse potuit. Sicut enim verus homo variis morbis esse obnoxius, salua sua essentia, sed non saluis actionibus vitalibus: sic vera fides non raro variis conficitur morbis, saluo habitu, non saluis actibus.] Exempla Dauidis, Petri, Nicodemii adducit, & ex horum numero principes fuisse dicit.

Nec modo fidem mansisse veram, sed etiam dilectionem affirmat, sed fuisse infirmam, non enim dicit, non dilexisse gloriam Dei, sed magis dilexisse gloriam hominum, probat hoc auctoritate Buceri.

Respondeo. Principes illos qui magis dilexerunt gloriam hominum, quam Dei, adeo, ut praeponebant illam diuinam, grante peccasse, & quidem contra caritatem, quia taciturnitate obstabant ceteris. Nicodemus quidem noctu venit ad Christum, postea tamen & pro domino locutus est, & non consentit actibus eorum. Occultus potest esse quispiam Christi discipulus, verum si eo nomine ne gloriam hominum amittat, si humanae laudis appetitu diuinam fastidit, excusari non potest. Quod exemplo Dauidis Bethsabee rapientis, & Petri negantis principum caritatem probatur; tantum abest, ut fidem mereatur, ut potius contrarium consequatur. Nam & David stupro, & innocenti sanguine obliuiscit caritate exciderat, & Petrus negando, ac perierando iustitiam perdidit, fidem tenebat. Quod si Dauid in tantis flagitiis caritatem & iustitiam retinuit, nullum scelus facere iniustum potest credentem. Verum Pareus à suo patriarcha Caluino luculenter refutatur. [Quod nulla, inquit, istis iniecta fuerit supersticio, sed solum apud hominibus]

hominēs probum fugitarint, disertè exprimit Euan-
gelista. Nam si plus apud eos valuit ambitio, quam ti-
mor Dei, sequitur inani conficietur metu fuisse libe-
ratos. Quid magis præposterum, imo quod magis be-
limum est, quam Dei iudicio, frivolos hominum ap-
plausus præferre? Hinc ergo mollities, quæ nos ad
perfidam simulationem disfluere facit, quod in mun-
di aspectu omnes sensus nostri hebescent: nam sin-
cerus Dei aspectus, statim omnes opum, & honorum
fumos discuteret. Eant nunc, quibus leve aliquid, &
veniale delictum videtur esse, obliqua Christi nega-
tio; cum ex adverso pronunciet Spiritus sanctus
hoc portentum esse, quam si cælum terra miscatur.
addit vero. Ergo intelligit Evangelista, ita mundo ad-
dictos fuisse istos, ut hominibus, quam Deo, placere
mallerent.]

Negat Calvinus veniale delictum esse. At si morta-
le erat, non igitur in illis charitas erat. Augustinus illos
profecisse negat, nam si proficerent, etiam superaturos
fuisse illam vanitatem affirmat.

§. 2. Calvinus contra excommunicationem Pon-
tificis, quæ hæretici solent percelli solatium conquirunt.
Quali idcirco tyrannica sint illa fulmina, quia Phari-
sæorum excommunicatio iniqua, & sæva erat.

Non erat illa pars Pontificis, illi excommunicabant
Christum confitentem; Papa negantes. Causa diversa
est, ideo comparari non debent effectus. Quod si vi-
spiam inane terribilimentum est excommunicatio,
apud Calvinianos est, quod illorum conciliabulo eiu-
dem, magna pars est felicitatis. Verum hoc quasi per
transennam, ad Principum fidem redeo, quos Bul-
ligerus etiam damnat. Christus dicitur ait: qui negaverit
me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo
qui in cælis est. Matthæi cap. 10. vers. 33. Et Brennus,
Vanos & infelices vocat, ad ignominiam tendentes.
Calvinus etiam obliquam vocat negationem, dum e-
nim inimicis Christi communicarent, & separatim
nem horrent, hoc ipso ostendebant se à Christo a-
lienos.

VERSUS 44.

*Iesus autem clamavit, & dixit, Qui
credit in me, non credit in me, sed
in eum qui misit me.*

QUESTIO I.

In quem credat, qui in Christum credit?

§. 1. Non est in ipsis verbis aliqua pugna. Hoc enim duntaxat dicitur. Eum qui in Christum
credit: non in eum duntaxat credere, non in hominem
aliquem, sed in eum qui misit ipsum. Gloriosum esse
itaque non infamem confessionem, ut quæ sit ipsorum
angelorum, atque adeo fuerit omnium prophetarum.
Qui ergo in Christum credit, in eum credit, & in Deum
Patrem, & Spiritum sanctum, non in hominem so-
lum. Creditur autem in eum, ut Deum, non creditur
ei duntaxat, ut legato Dei, ut notant Ambrosius, Au-
gustinus, Leontius. Ipse enim & Pater unum sunt,
quocirca, qui in eum credit, ille & in Patrem credit.
Augustinus serm. 57. de verbis Domini. Friuola ita-
que erat obiectio quorundam apud Ambrosium lib.
5. de fide, cap. 5. non esse in Christum credendum: ip-
sum enim dixisse, qui credit in me, non in me credit.
Non enim negat in se credi, sed non in se solum, sed in
Deum Patrem etiam, ut cum dixit: Qui vos audit, me
audit. Augustinus de bono perseverantia cap. 4. In
Christum ergo qui credit, in hominem verum & Deum
verum credit, ideoque in totum Deum, totam Trini-

tatem, quæ est fidei obiectum, non in hominem duntaxat. Pari modo qui videt Christum, videt & eum qui misit. Unus est enim Deus, & natura non separabilis. Athanasius contra Sabellii Gregales. & oratione 5. contra Arianos.

§. 2. Tribus modis Christus videri potest, ideoque & tribus illis modis explicari verba, quæ sunt præmanibus, possunt. Videtur in æterna gloria Christi divinitas & humanitas clarissime facie ad faciem à beatis Angelis, & animabus. Cum autem in evidentissimo illo divinitatis intuitu impossibile sit unam personam absque aliâ cognoscere, quod in eadem essentia conveniant, necesse est, eum qui Dei conspectu fruuntur, omnes simul personas, atque adeo totam Trinitatem intueri. Argumentum itaque maius est, & divinius, quam primâ fronte videatur. Probat enim eum qui in se credat, etiam in Patrem credere: nam & qui Christum vident Angeli, Patrem simul necessario vident. Ita que vera in Christum fides in personas illas tendit, in quas beata visio, nec separat quas illa coniungit, hoc etiam populus ille minus percepit, non tamen frustra dicitur eis, cum Christus non pauculos Iudæos, sed totam omnium sæculorum Ecclesiam instruxerit. Confirmat hoc verbum *Sequitur*, quod de rerum divinarum contemplatione accipi consuevit. Alio modo videtur, & CHRISTVS, & videtur is, qui misit per fidem. Sic Ambrosius lib. 5. de fide cap. 5. Chrylостomus atque alii interpretantur, atque hoc modo non probatio, sed exegesis esset illius, quod superiore versu dixerat. *Qui credit in me, &c.*

Toletus Cardinalis de visione corporeâ intelligit. Qui enim oculis Christum intueretur, hominem quidem cernit, sed tamen & Deum videt, quia Deus est ille, quem videt homo. Quia vero etiam coniuncta est cum illo Deitas Patris atque essentia, Patrem etiam videt. Nec obstat non videri ipsam Deitatem: nam in homine, nec animam, nec substantiam corporis, sed colores, figuram, & lineamenta duntaxat cernimus, & hominem tamen videre nos dicimus. Mihi Dominus de fide loqui videtur, & sua divinitate, horatur enim eos, ut qui se vident, in se credunt id sine metu & pudore confiteantur, quandoquidem non in hominem mortalem fides, & spes eorum recumbit, sed in Deum æternum, cuius veritatem suppressere grave plane scelus est.

VERSUS 45. 46.

Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

QUESTIO I.

Cur in mundum venit?

§. 1. NE in tenebris maneat, qui in eum credunt. Universum igitur mundum caligo occupavit, nec vlla lux est, nisi in credentibus, sine luce illa impossibile est placere Deo. Frustra igitur extra veram fidem salus queritur. Athanasius orat. 3. & 4. contra Arianos demonstrat hanc lucem esse verbum, & filium Dei, mundi conditorem. Quod ex eo etiam deducitur: quod venisse se cum dicat, atque tequam veniret, fuisse necessarium se sit.